



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An celebrans possit elevare Hostiam à se non consecratam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

diorem nullam inveniret, ac de ea, ob distantiam Civitatis, providere sibi posset, ne eo die, tametsi festæ Sacrificio privaretur, parvam formulam, quæ in promptu fuit, sine ulla hæsitacione, ad Sacrificium adhibuit. Affuerunt statim ad me juniores quidam, qui, & ipsi tunc rui aderant, interrogantes, an id à Patre, nulla præsertim existente, præter ejus devotionem causa, factum ritè fuerit. Respondi, ipsos, ritè gestum id esse, & eo solum sibi persuadere debuisse, quod Pater ejusmodi, tantæ scilicet doctrinæ, tantæque virtutis id effecit. Ita supponit ex Marchantio, Diana *part. 5. tract. 14. ref. 96. §. Sed non deferam*. Ratio, dicebam inter ceteras, est, quia nec ullum præceptum adest, nec ullam constare esse consuetudinem, ut obligantem de consecrata Hostia majore, vel minore; utrobique enim Sacrificium æquè perficitur. Quod si gravis offensio aliqua imperitorum aliquando timeatur, facile de rei veritate instrui poterunt: & in casu nostro, sine ulla expressa instructione, una ipsa Patris autoritas id facientis, ad offensionem illorum, qui viderant, quaque universi hominis doctrinam, integritatemque probè noverant, avertendam, satis superque fuerat.

*An celebrans possit assumere parvam formulam, & grandio-
riorem reservare?*

17. Sed ecce tibi aliam quæstionem. Si id licet, licetne Sacerdoti assumere Particulam parvam, & grandio-
riorem conservare in Pixide, ad illam y. g. exponendam in Oratione quadraginta horarum, si forte alia grandior haberetur, ad hunc finem, non possit?

18. Dico esse distinguendum. Vel enim hic Sacerdos consecravimus in ea Missa, tum particulas parvas, tum Hostiam grandio-
riorem, vel solum consecravimus ipsam majorem, invenitur tamen parva præconsecrata in alia præcedenti Missa. Si prius, licet Sacerdoti parvam sibi sumere, & majorem reservare: si posterius, non licet. Ratio est, quia Sacerdos debet communicare de suo Sacrificio. Nam, ut habet *Textus, cap. relatum 11. de consecr. dist. 2.* (vide quæ diximus *lib. 2. Opus. de exp. Com. cap. 6. §. 6. num. 31.*) *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscatur?* quod facit in casu priore: non vero in posteriore.

19. Hinc aliqui Parochi, dum renovant Eucharistiam, si consumunt Hostiam ab alio præconsecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, reponunt in Sacerario, ritè nequaquam faciunt, suntque ab Episcopis, & à Doctoribus corrigendi. Objicis. At Henriq. & Fagund. apud Delugo *max citandi* asserunt fieri id licetè posse. Respondeo. At Delugo *apud eundem de Euch. disp. 1. §. 9. sect. 4. n. 76.* alii-
que apud ipsum, qui quæstionem hanc solidè tractant, hos parum Theologicè, & contra omnes Doctores de hac re esse loquutos, merito probat. Lege etiam Dianam *part. 5. tract. 13. ref. 95.*

Dices. At jam participat de suo Sacrificio, dum participat de eodem Christo, quæ est Hostia eadem in omnibus: nam propterea si occurrat mori celebranti, facta consecratione, potest, imò debet alter Sacerdos Missam absolvere, & præconsecratam ab alio Hostiam consumere: Die item Parasceve alius Sacerdos potest consumere Hostiam ab alio die præcedenti consecratam.

Respondeo in priori ex dictis casibus, quos urges, adest summa necessitas perfectionis Sacrificij, in posteriore adest dispensatio Ecclesiæ. Nos autem non asserimus illud esse contra omnimodam Sacrificij integritatem, sed esse contra morem, & ordinationes Ecclesiæ volentis juxta ipsius Sacrificij requisita, ut Sacerdos participet de Sacramento à se consecrato: ipsa vero in hoc solum dispensavit, urgente illa necessitate, & stante illo Passionis Dominicæ mysterio exhibendo, non autem stantibus aliis levioribus occasionibus, quales ceteræ sunt dicti casus expositionis, & renovationis Eucharistiæ, quorum primo facile occurrere potest, exponendo in

Pixide, seu Sphæra parvam Hostiam existentem in Sacerario; secundo autem, consecrandi aliquot Particulas cum Hostia majore, hæc enim assumpta, & assumpta venteribus formulis reservari in Sacerario recentiora creata ritè poterunt.

An celebrans possit elevare Hostiam non à se consecratam.

20. Suboritur item alia quæstio. Quidam in sua Missa ob prædictum grandioris Hostiæ defectum, consecrant parvas particulas; timens autem populi offensionem, in elevatione Sacramenti consueta, elevavit ob hanc cautelam, Hostiam grandio-
riorem præconsecratam, quæ forte in Sacerario pro Oratione 40. horarum, servatur. Queritur an id ritè factum fuerit?

21. Marchantius, negat id esse ritè gestum. Constat tamen Diana *ibid.* citans March. Cum enim (ait) illa debeat exhiberi populo adoranda eadem Hostia quæ in ea Missa consecratur, & offertur, talis cautela prædictæ Sacerdotis approbanda non est: *Melius tamen est, si dicat* fecisset (addit Marchantius) si majori ipsi Hostiam parvam parvam per illud Sacrificium consecratam jam junxisset, quod facile poterat, exhibendo utramque ad eandem. Hæc ille.

22. Profecto sunt hominum ingenia diversimodum approbandam hanc posteriorem Marchantij cautelam, quam priorem illius Sacerdotis *n. 201.* dictant. Quæro enim quodnam præceptum arguet, vel aliquam consuetudinem ostendendi eandem Hostiam adorandam, quæ in eadem Missa consecrata fuit? Fatetur ita esse observandum, cum Rubricæ semper supponant eandem, quam consecravimus, debere Sacerdotem populo veneratione elevare: at intercedente causa, qualis in casu nostro satis rationabilis apparet, ne cogatur Sacerdos populum insultare, qui fortasse de offensione minoris Hostiæ sensus fuisset, vel quid simile, non video cur talis Rubrica solum directiva negligi sine culpa non possit, nec autem in omnibus similibus directivis, quando ad id talis talis negligendi causa, ut ex supradictis *cap. 1. §. 2.* colligi potest. Quod si potest, jam superfluum erit polliceri illud remedium conjungendi parvam cum Hostia grandiore. Adde hoc posterius esse saltem implicite contra, vel extra Rubricas, per quas nunquam ostenditur, nisi una grandior Hostia, quare tu, conjungendo deus, non facies juxta Rubricas, ego ostendendo præconsecratam nec facio juxta easdem, ergo pares sumus, ergo saltem non erit unum altero consultius.

23. Illud esse probandum nullo pacto est, quod quidam Parochi, dum ei Hostia grandior consecrata non suppetere, ad eam exponendam in oratione quadraginta horarum, imprudenter egit. Parvam enim consecratam Hostiam affixit Hostiæ grandiori non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parva summula sphaerula appareret populo, qui Sacerdotem de ingratia præparandi majorem reprehendisset. Hoc quidem non est probandum, quia esset periculum idololatæ, quamvis materialis, (cum fideles adoret totum illud, quod expositum est per modum unius) quod nullo modo licet, ut in simili de Parocho ostendente Particulam consecratam, & deinde ministrante peccatori oculis Particulam non consecratam, dictum est in *Opus. de exp. Cum. cap. 2. §. 2. n. 12* & videri potest apud Delugo *de Sac. disp. 8. sect. 1. n. 188.*

Quando disparat Hostia consecrata, nec alia consecrata haberi possit; Quid melius, abire sine communione Corporis, an assumere præconsecratam?

24. Denique decernamus, si quando disparat per miraculum, vel ab animali, seu vento auteratur Hostia consecrata, cum dicitur missa, nec haberi possit alia, five parva, five magna (quæ certe si possit haberi, consecranda ad integrandam Sacrificium omnino est), si